

- 11 Reprehenduntur Judices nimis facile hoc juramentum deferentes.
- 12 Delationem hujus juramenti ad supplendum defectum probationum reprobatur Antonius Faber.
- 13 Indubitatum est admodum parca & circumspicte juramentum hoc deferendum; quia jurans constituitur iudex in propria causa.
- 14 Ex delatione hujus juramenti natum est fieri, ut mali in causa injusta vincant, & boni causam justam perdant.
- 15 Antiqua Visigothorum Leges vetant facile hoc juramentum deferre.
- 16 Idipsum inculcant Capitularia Regum Francorum.
- 17 In Gallia consuetudinaria vix est aliquis usus hujus juramenti.
- 18 Etiam in his partibus rarus est usus: & quare?
- 19 Ob periculum perjurii non deferitur in criminalibus, nec in actione famosa.
- 20 Similiter nec in causa Civili ardua & notabili.
- 21 An res sit ardua, attendenda conditio personarum & locorum? (bus.)
- 22 Dum de re temporali agitur, raro deferendum pauperibus.
- 23 Ob periculum perjurii non condemnandus Reus eadem sententia, qua Actori deferitur juramentum.
- 24 Iudex non rogatus hoc juramentum non deferat, ne ad perjurium incitare videatur.
- 25 Homines nimis faciles sunt ad pejerandum, ubi agitur de lucro. (deferendum.)
- 26 Concluditur summa cum moderatione juramentum hoc



Uramenti apud omnes semper summa religio fuit, atque ad dirimendas controversias medium maximè opportunum existimatum. Hinc illud apud Romanos in L. 1. ff. De Jurejurando, "maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactioe ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiæ."

II. Inde contingit, ut judices ob defectum probationum in causis decidendis juramentum adhibendum judicaverint; ut dum veritas per testes, instrumenta, simileve ordinarias species probationis haberi non posset, per jurisjurandi religionem veritas à litigantibus eliceretur.

III. Idcirco hoc juramentum merito dictum fuit *suppletorium*, quasi nimirum defectum probationum *supplens*. Solent enim sæpè judices in dubiis causis, exacto jurejurando, secundum eum judicare qui jura verit, ait Cajus Jurisconsultus in L. 31. ff. De Jurejurando. Et Imperatores Diocletianus & Maximianus in L. 3. Cod. de Rebus creditis & Jurejurando, "In bonæ fidei contractibus, necnon etiam in cæteris causis, inopia probationum, per judicem jurando causâ cognita res decidi oportet."

IV. Hujus juramenti in legibus quidem Romanis frequens mentio occurrit; compertamque est, juramenti hujus usum fuisse Romanis multum familiarem: at in pristinis Canonibus aut Pontificum epistolis vix ulla est juramenti hujus, aut similis, ad causarum decisionem à judice adhibendi memoria.

V. Admodum verisimile est, hoc juramentum ex foro sæculari unâ cum stylo forensi in forum Ecclesiasticum intrasse; apparetque ex Pontificum responsis, Pontifices legum præscriptum in materia hujus juramenti fuisse sequutos.

VI. Unde Alexander III. reprobandis consuetudinem, quæ apud quosdam invaluerat, "ut cum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis aut testibus introductis, Sacramentum nihilominus deferatur: quod si subire noluerit, fides probationibus exhibitis non habetur." Fundamentum reprobationis hujus allegat: quod hæc consuetudo nulla sit ratione subnixâ; "sed manifestè (ait) legibus adversetur, quæ tunc demum ad hujusmodi suffragium decurrendum esse decreverunt, cum alia legitime non suppetunt." Ita igitur in secunda Collectioe Decretalium apud Antonium Augustinum De Probationibus cap. 1.

VII. Unicam Decretalem de hoc juramento habemus in Decretalibus Greg. IX. sub titulo De Jurejurando, nimirum in Cap. fin. ejusdem tituli; & quam, uti post Cujacium ad hoc Capitulum notavit Emmanuel Gonzalez in notis ad eandem Decretalem, Gregorius IX. totam deprompsit ex edito Prætoris & ejus interpretatione per Prudentes factâ. "Nec est (ait Gonzalez) in hoc titulo (De Jurejurando) alia, quæ ad juramentum decisivum litis spectet, nisi præsens; cum in aliis actum esset de juramento extrajudiciali in aliis actibus validis & invalidis præstito."

VIII. In hac igitur Decretali significat cuidam judici Gregorius IX. "Juramentum à te (Judice) parti delatum, nisi iusta de causa non potuit recusari: quamvis quod in judicio à parte parti deferatur, recusari possit licet ac referri. Nec liceat Convento famosa actione referre hujusmodi jnsjurandum."

Sed ne iudex hujus probationis usum semper adhiberi posse arbitraretur, subjungitur: "Sanè si actor omninò in probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præditerit) obtinere. Præsumptione verò faciente pro illo, reo debet fieri potest, ad ostendendam suam innocentiam, juramentum, nisi iudex (inspectis personarum & causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum."

IX. Ex hoc itaque textu uno consensu deducunt Interpretes, juramentum hoc non esse à judice deferendum, nisi in causis admodum dubiis, & quando per ordinariam probationis media veritas haberi nequit. Hæc enim probationis species est merè subsidiaria; ideoque non admitenda, nisi deficientibus aliis probationibus, uti loquitur lib. 35. ff. de Jurejurando.

X. Ulterius probatio per juramentum non est assumenda à judice, nisi causa ita sit disposita, ut nequeat se determinare, ob argumenta utrimque militantia, pro qua Parte, id est, an pro reo, an pro actore sit pronuntiandum; neque medium ordinarium suppetit, quo jus unius alteriusve partis ulterius elucescat, ut se iudex in pronuntiando determinare queat.

XI. Hinc Duarenus Lib. 2. Disp. 33. causas dubias, in quibus judices solet deferre hoc juramentum asserit L. 31. ff. eod. interpretatur illas causas, in quibus judices eò redacti sunt propter paritatem probationum, ut hæsitent, & in utramque partem propendeant, & inclinent: reprehenditque tamquam iniquum, quod nonnulli tradunt, hoc juramentum posse in supplementum probationis deferri actori, modo vel unum testem protulerit.

XII. Antonius Faber in Codice lib. 4. tit. 1. Definit. 1. nota 9. advertens, quod "omnibus in re propria dicendi, testimoniis facultatem Jura submoverunt, eadem ratione putat nec defendi posse ullâ juris ratione jusjurandum, quod *suppletivum* vocant." Et Definit. 4. dicere aude, jam pridem inveterato errore obtinuisse, ut si alteruter litigantium *semiplenas*, ut vocant, probationes adferat, quod iustis probationibus deest, exacto per judicis officium præterente jurejurando suppleri possit. Et in notis n. 5. eandem suam sententiam repetens ait: *Error enim Interpretum & Pragmaticorum ille est.*

XIII. Quidquid sit de hac Fabri opinione, hoc equidem indubitatum est, admodum parca & circumspicte hoc jusjurandum à judice Parti in supplementum probationis deferendum esse: quando quidem negari nequeat, quin verum sit, per hanc juramenti delationem jurantem in re propria testem adhiberi, atque ab ejus juramento causæ decisionem peti.

XIV. Quid enim hinc natum consequi, nisi ut homines parum religiosi, facile spe victoriæ consequendæ illecti ad perjuriam inducantur; alii verò perjurii metu deterriti, etiam juramentum sibi delatum in causâ iustâ præstare recusantes, causâ cadant.

XV. Unde in antiquis Visigothorum legibus legitur L. 2. c. 22. "Iudex, ut benè causam cognoscat, primum testes, interrogat ac deinde scripturas inquirat, ut veritas possit certius inveniri, ne ad Sacramentum facile veniatur." Hoc enim iustitiæ potiùs indagatio vera commendat, ut

scripturæ ex omnibus intercurrant, & jurandi necessitas sese omninò suspendat."

XVI. Et in Capitularibus Regum Francorum lib. 7. c. 97. "Voluntus, ut Sacramenta citò non fiant, sed unusquisque Iudex prius causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit, ne facile ad Sacramenta veniant."

XVII. Refert Rebuffus in Proœmio ad Constitutiones Regiæ Glossæ s. num. 58. non servari in patria consuetudinaria Regni Gallia citatam L. 31. ff. De Jurejurando. & L. 3. Cod. eod. "Quia (ait) vix defertur juramentum in supplementum probationum in contractibus stricti juris, etiamsi semiplenè probatum fuerit: sed reus iudex absolvit, nisi hoc à Rege per rescriptum concedatur."

Addit nihilominus, "quod serventur leges illæ in patria juris scripti, in qua (ait) sine litteris iudex defert, si expedit, juramentum, etiam in contractibus stricti juris."

XVIII. Testantur quoque Pragmatici nostrates, juramenti hujus suppletorii usum moribus nostris non planè abiisse in defectum, uti pluribus citatis refert Simon A Groenewegen De Legibus abrogatis ad L. 3. Cod. de Rebus creditis; addens tamen, quod "rarius soleant hodie judices in supplementum probationis alterutri litigantium juramentum deferre."

Rationem præmittit desumptam ex L. 8. ff. de Condit. Institut. Quia "faciles sunt nonnulli homines ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi metu divini Numinis usque ad superstitionem."

XIX. Sed & passim Pragmatici tradunt, hoc juramentum ob perjurii periculum magna cum moderatione & circumspicte esse deferendum.

Atque in primis juramentum hoc in vicem probationis non esse deferendum, cum criminaliter agitur, imò vel civiliter ex actione famosa, qua Reus damnatus redderetur infamis, tradunt communiter Doctores ad Cap. fin. De Jurejurando, ubi dicit Pontifex: *Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum.* Rationem illius allegat Damhoderus in Praxi ret. civil. c. 179. n. 9. "Ne videlicet Reo detur occasio pejerandi, ut scilicet infamiam evadat."

XX. Sicuti ob periculum perjurii juramentum hoc deferendum non est in causâ criminali aut famosa; ita nec in causâ civili, ardua, & notabili, quemadmodum post Glossam ad L. 31. ff. De Jurejurando, notant Doctores; Nemo enim non videt periculum esse pejerandi, ubi de re ardua & notabili perdenda, aut lucranda agitur.

XXI. Dicitur autem causa ardua, magna vel modica, juxta conditionem personarum litigantium, & ex diversitate locorum, uti post Panormitanum ad Cap. fin. De Jurejurando notârunt Doctores. Certum enim, rem respectu unius personæ posse æstimari arduam & magnam, quæ alteri personæ esset modica: ita ut respectu illius esset evidens pejerandi illecebra, & non respectu hujus.

Similiter de loco dicendum; nam in quibusdam locis res habetur pretiosa, quæ in aliis reputatur vilis, uti monet ibidem Panormitanus.

XXII. Dicit quoque ibi Panormitanus, circa personas attendendum etiam est, num divites sint, an pauperes; præsertim si de re temporali agatur. Nam cum pauperes magis temporalibus indigeant, atque harum defectu multa incommoda sustinere cogantur, verendum, ne ad consequendam rem temporalem, aut eam conservandam præiores ad perjurium reddantur.

XXIII. Observandum monet Antonius Faber loco citato Definit. 1. notâ 10. quod "Senatus Sabaudia districtè observet, ut non condemnentur Reus eadem interlocutione, ne, quâ actor admittitur ad jusjurandum suppletivum, ne quidem cum hac clausula, quam inferiores judices adde- re solent, & præstito jurejurando. Ita enim videretur is, qui certus esset de victoria, invitari ad jurandum, ac fortè, talis ad pejerandum. Ergo in tempus præstiti juramenti est differenda condemnatio."

XXIV. Hæc ille, qui & Definit. 8. monet, quod hoc juramentum suppletivum à judice deferendum non sit, nisi petenti; nec sufficere, quod jus & iusticiam, ut ex vulgari Advocatorum stylo fit, sibi administrari petierit. "Nam sicuti (ait) non facile quisquam credendus est jurare velle: Ita nec ad jurandum à judice invitandus est, propter periculum perjurii, si juretur, aut suspicionem calumniæ, si jusjurandum à judice non petenti oblatum recusetur."

XXV. Additque rectè notâ 6. "Etsi enim non præsumitur jurans immemor salutis æternæ, nemo tamen, necit, quàm facile plerique vel pro re minima pejerent."

XXV. Ex his aliisque facile intelligitur, verisimè monere Pragmaticos, per judices maximo cum moderamine & circumspicte hoc juramentum esse deferendum eo, quod per illud Pars quodammodo in propria causa testis constituatur, & spe lucri allequendi, aut damni evitandi ad perjurium incitetur, & quasi impellatur.

TITULUS VIII.

De Instructione Casuarum Criminalium.

CAPUT I.

De Accusationibus & Informationibus prævis.

- 1 In foro Eccles. malis sæculis criminum punitio sine formalitatibus juris peracta fuit.
- 2 Forma hodierna criminalis fori Ecclesiastici ex Legibus Civilibus desumpta.
- 3 Concilium Lateranense IV. triplicem modum crimina prosequendi proponit.
- 4 Primus est per accusationem, cuius definitio proponitur.
- 5 De Jure Accusatio fieri debet per libellum.
- 6 Forma accusationis in Legibus Romanis expressa, qua occasione in foro Ecclesiastico olim recepta?
- 7 Accusans in libello accusationis inscribere se tenebatur de Jure Romano; quod & Jure Decretalium cautum est.
- 8 Ad quid se obligaret accusans per hanc inscriptionem?
- 9 Forma inscriptionis expressa apud Gratianum.
- 10 Etiam in Belgio aliquando fuit necessitas inscriptionis. Van Espen Jur. Eccl. P. III.

- 11 Ad præveniendum nimium accusandi prurium indulta necessitas inscriptionis.
- 12 Ad præveniendum privatorum accusandi prurium, adempta ipsis hodie est auctoritas accusandi criminaliter, & publicis Officialibus reservata.
- 13 His Officialibus remissa est inscriptio, qua & hodie penè à foro recessit.
- 14 Interdum tamen penè extraordinariâ ob malè institutam accusationem puniuntur.
- 15 Officiales hi non solent quoque in expensis solvendas condemnari.
- 16 Articulus Ordinationis Curia Brabantia super expensis factis per Procuratorem Regium in causa criminali.
- 17 Quid de his habeant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum?
- 18 Deficiente accusatore Iudex ex officio potest procedere viâ inquisitionis.
- 19 De Jure hic procedendi modus erat extraordinarius; ad de consuetudine est ordinarius.
- 20 Hodie semper proceditur in causa criminali viâ inquisitionis.

- 21 Inquisitio hodie sumi solet pro pravia informatione.
- 22 Formare inquisitionem est idem, quod facere processum informationis.
- 23 Inquisitio seu informatio pravia dicitur hodie basis processus criminalis.
- 24 Sententia Officialis cassata ob defectum praviae informationis.
- 25 Eam requirunt Edicta Principum nostrorum.
- 26 Informatio pravia fieri debet auctoritate Judicis.
- 27 Informatio generalis instituenda, dum constat de crimine, sed de auctore indicia non habentur.
- 28 Ut contra particularem instituat specialis informatio, requiruntur indicia pravia.
- 29 De jure communi necessaria est publica infamatio.
- 30 De consuetudine sufficientia indicia.
- 31 Qua indicia aut infamatio ad informationem specialem instituendam sufficiant?
- 32 Denuntiatio hodie aperit viam inquisitioni.
- 33 Etiam privati denuntiatores admittuntur; sed iudicis est advertere, quorum denuntiatio sit recipienda.
- 34 Huiusmodi Denuntiatores, si falso denuntient, condemnandi in expensis & interesse.
- 35 Quando Procurator Regius teneatur nominare denuntiatorem seu instigatorem?
- 36 Quid circa hoc obtineat in Gallia.
- 37 Potest capi pravia informatio, tamen si nullus sit denuntiator, modo sufficientia praecedant indicia.
- 38 Haec informatio institui potest contra absentem non citatum.
- 39 In processu informativo testes examinantur Parte non citata.
- 40 Denuntiator citari solet ad subministranda indicia.
- 41 Informationes accipiendae quam secretissime.



Multis saeculis forum internum quoad punitionem criminum non fuisse omnino separatum a foro externo, fusc deduximus supra Titulo 4. cap. 1. neq; illo tempore in discussione vel inquisitione criminum eorumque punitione intervenisse formalitates juris: sed eas demum circa saeculum XII. in forum Ecclesiasticum irrepisse, quando felicet forum externum in punitione criminum a foro interno omnino separatum erat.

II. Et sicuti causa civiles tum ex legum praescripto in iudiciis Ecclesiasticis instrui & deciderent; ita & causa criminales in foro Ecclesiastico secundum formam fore civilis instrui ceperunt: factique ex decendis hoc titulo apparebit, modum procedendi in criminalibus jure Canonico praescriptum imitatus ex ipsis Legibus fuisse desumptum.

III. Concilium Lateranense sub Innocentio III. in Cap. 24. de Accusationibus allegat triplicem modum crimina prosequendi per accusationem, denuntiationem, & inquisitionem.

IV. Accusatio est criminis alicujus apud iudicem competentem, vindictae publicae causa, inscriptione interveniente, legitime facta delatio; uti scribit Hostiensis in Summa tit. De Accusationibus.

V. De jure accusationem faciendam esse in scriptis per libellum communiter docent Interpretes ad L. 3. ff. De Accusationibus; & satis insinuat Gratianus ad calem Canonis 5. caus. 2. q. 8. ubi & formam libelli accusatoris desumptam ex citata Lege 3. proponit.

VI. Multa praeterea refert Gratianus, quae ad formam accusationis pertinent; sed omnia desumpta penes sunt ex suppositis & falsis Decretalibus epistolis primorum Pontificum, quae verisimiliter ex Legibus Romanis circa saeculum IX. confictae; ac dein in Decretum Gratiani relatae occasione dederunt posterioribus Pontificibus, formam accusationis iis expressam suis Decretalibus inferendi; eamque tamquam Sacris Canonibus jam pridem approbatam, retinendi.

VII. Illud praecipue in libello accusationis observandum occurrit, quod accusans teneretur in libello se inscribere ad poenam talionis; ut est textus in citata L. 3. & L. 7. Cod. Qui accusare non possunt. Idq; non tantum in publicis delictis,

sed etiam privatis criminaliter intentatis. L. fin. ff. de Privilegiis delictis; quod & probat Pontifex in Cap. 16. de Accusationibus, dicens, quando crimen opponitur in modum accusationis, oportet inscribi: quoniam ad depositionem instituitur accusatio. Rursus in citato Cap. 24. innovato per Concilium Trident. Sess. 24. cap. 5. De Reformat. decretatur, "ut criminalis accusatio, quae ad diminutionem capitis, id est, ad degradationem intenditur; nisi legitima praecedat inscriptio, nullatenus admitatur."

VIII. "Inscribere autem, est obligare se ad eandem poenam, si non probaverit, quam Reus debuit pati, si probasset accusator," inquit Glossa ad citatum Cap. 16. verbo, oportet inscribi. Addit Julius Clarus in Practica criminali lib. 5. §. fin. q. 12. n. 16. de forma inscriptionis esse, non tantum se obligare ad similitudinem poenae, sed insuper promittere, accusationem prosequi usque ad finem.

IX. Haec forma inscriptionis sat luculenter expressa est in Can. 4. caus. 2. q. 8. qui desumptus est ex supposita Sixti III ad Episcopos Orientales. "Qui crimen objicit, scribat se probaturum... Et qui non probaverit, quod objicit, poenam, quam intulerit, ipse patiatur."

X. Hanc inscriptionem hic in Belgio in usu fuisse, testantur Tabulae Legum Brabantiae anni 1312. in quibus legitur, Joannem Ducem poenam talionis discretè innovasse, decrevisseque eo loco habendum esse eum, qui alium in jure accusasset, & accusationem non probasset, quo alius habendus fuisset probato crimine.

XI. Necessitas hujus inscriptionis inducta apparet, ut homines a calumniis detererentur; nec facile ex odio aliave passione ad accusandos & calumniandos innocentes prorumperent.

Cuilibet enim privato tunc temporis licebat alium de crimine ad vindictam publicam criminaliter accusare, & convenire; nisi speciali lege ab accusando prohiberetur, tamen si nullum ejus privatum interesse interveniret. L. 8. ff. De Accusat. ideoque expediebat, accusandi nimum quorundam pruritus poenarum metu coercere.

XII. Hodie ad praeventendum illum accusandi, imò & calumniandi pruritus, aliaque plurima incommoda, quae ex privatorum accusationibus oriri nata sunt, consuetudine, & specialibus locorum Legibus ubiq; passim sublata est haec auctoritas accusandi criminaliter, sive ad vindictam publicam.

Testatur Guil. Benedicti, qui a 100. & amplius annis scripsit, in repetitione Cap. RAYNUTIUS de Testamentis, verbo Mortuo itaque testatore num. 200. quod in regno Galliae locum non habeat titulus de Accusationibus: "imò, (ait) per ordinationes Regias nullus admittetur etiam pro sua vel suorum injuria ad aliquem accusandum de crimine ad fines judiciales, & vindictam publicam; nisi dumtaxat pro suo interesse civili. Sed omnia crimina promonentur & persequuntur per Procuratorem Regium, in qualibet Baylivia, & Senescalia institutum, & de publico stipendiatum à Rege." De eadem praxi Regni Galliae testantur Rebuffus in Prooemio ad Constitutiones Regias Glossa 5. num. 92. & 105. Imbertus Pract. civil. & crimio. lib. 3. cap. 1. num. 3. & 4. & passim omnes Pragmatici.

Idipsum in Belgio servari testantur Zypaeus in Notitia Jure Belgici, tit. Qui accusare non possunt; & Gudelinus de Juris Novissimo lib. 5. cap. 14. num. 12. ubi ait: "Qui libet olim secundum Juris Romani regulam accusator esse potuit; sed moribus nostris licet quivis ad indicandum denuntiandumque flagitium admittatur, tamen unus est, qui ex officio, nomine fisci seu Reipublicae, ultionem criminum persequitur, atque is in tribunalibus Regiis Procurator Generalis seu Regius; in tribunalibus autem Episcoporum, nec non hujus universitatis, Promotor vocatur. Quod optimè videtur introductum, quando quidem nemo privatus personam accusatoris absque summa invidia & odio illius, quem accusat, amicorumq; ejus, suscipere potest.

Vide plures ejusdem praxeos testes apud Christianum ad Bugnionium

Bugnionium lib. 1. c. 13. & Simonem A Groenevvegen. De LL. abrog. ad tit. Cod. De His qui accusare non possunt.

XIII. His autem publicis accusatoribus, inscriptionis vinculum & talionis periculum moribus hodiernis quoque remissum: eò quod ipsis ratione officii crimina publica prosequendi, & criminosos accusandi necessitas incumbat; uti omnes Pragmatici uno quasi consensu testantur asseruntq; solemnem illam inscriptionem, uti & poenam talionis penitus à foro recessisse; earumque usum planè sublatum. Consuli poterunt Julius Clarus loco citato q. 12. §. 18. item Christianus & Groenevvegen cum pluribus ab ipsis citatis.

XIV. Sed ne publici hi Officarii auctoritate sibi concessa in perniciem privatorum abutantur, & Legum obtentu, iræ & ultioni obsequantur, nullam omnino criminalem accusationem, nisi decreto iudicis, & ex praecedenti informatione instituire possunt; & si secus faciant, imò vel ultra informationem procedant, Reumque de crimine accusent vel vexent, de quo nihil in informationibus occurrit, pro ratione calumniae & judicantium religione multantur & puniuntur; uti notat Damhouderus in Praxi Rerum criminali. c. 6. & plures allegati per Groenevvegen loco citato. Reperi possunt quae dicta sunt supra Titulo 6. c. 5. De Promotore.

XV. Eadem ratione qua Procurator Regius, Promotor alique publici Officarii non tenentur se inscribere; etiam ubique penes moribus obtinuit, uti tamen causa cadant, in expensas non condemnentur; uti notant passim Pragmatici; & notanter quoad Belgium post Damhouderum in Praxi rerum Civil. capit. 222. numer. 7. Anselmo ad art. 9. Edicti perpetui §. 8. modo tamén Officarius, cum omni modestia, integritate & humanitate causam prosequatur ac officium suum exerceat; ita ut dici possit, eum indifferetè, importunè, vel per calumniam egisse; uti loquitur Anselmo: qui dein §. 9. subiungit: "Sed si nec delictum, nec famam, nec vehementem aliquam praesumptionem probaverit, sed calumniosè & dolosè aliquem in Jus vocasse reperietur, si inquisitum, seu accusatum ante sententiam distulisset in coronam civium publicè delecto reo imposito buccina verit, aliave praeterit ex quibus animus passionatus, & depravatus elici pollet, in expensas, nec non damna & interesse condemnandus venit; quin & injuriarum, pars, eo casu agere poterit, nunquam enim aut dolus, aut calumnia debet manere impunita."

XVI. Ordinationes Curiae Brabantiae art. 110. decernunt, ut si Procurator Regius succumbat in causa, quam sine Decreto Curiae suscepit, condemnabitur in expensas ex proprio solvendas. Si verò succumbat in causa suscepta ex Decreto Curiae, tunc si non sit locus compensationi, eundem condemnabitur in expensas, sed solvendas ex arario Curiae. Verba articuli sunt: "Dat soo vvanneer onsen voorschreven Procureur sal ghebaeren te succumben in eeny he saeken daer toe by egeen ordnantie van onsen voorschreven Raede en beeft ghehad, sal ghecondemneert vworden als de saecke dat he heeft, in de kosten, om die se betaelen uys synen eyghen buydele ende indien by succumbeert in saeken daer toe by ordnantie ghehadt beeft, sal even gheluck ghecondemneert vworden in de kosten, soo vvanneer de materis egeen compensatie en admittiert, maer sullen alsdaen de kosten betaelt vworden by den Ontfangher van den exploiten, tot onse laste. Id est. Si quando praetatus noster Procurator causa cadat, ad quam instituenda mandatum à Consilio nostro praefato non acceperat, condemnabitur, prout res exigit in expensas proprio sumptu faciendas; si verò in actione, quam ex mandato instituit, causa ceciderit, eodem modo in expensas condemnabitur, si res nequeat compensari, verum nostro sumptu persolventur per ararium Receptorem.

XVII. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis tit. 11. art. 59. volunt, ut, quouscumq; ratione officii Promotor alique in Jus vocaverit; tenebitur omnino aut delictum probare, aut saltem famam.

Cum autem non proprio motu, sed praecedente Decreto Judicis, aut nostro, vel Vicariatus, aliquem citari curaverit vel arrestari, cum diligentiam suam praeterit, nihil ei imputabitur.

Dein art. 60. subdit: "Si verò nec delictum, nec vehementem aliquam praesumptionem probaverit, sed calumniosè & dolosè aliquem in Jus vocasse reperietur, tunc ipse Promotor in expensas condemnatus, illas Partem restituat; quin & injuriarum Pars agere poterit. Si verò non ipsum quidem principale delictum, v. g. adulterium, concubinatumve probaverit, sed praeter famam, praesumptionemve vehementem, aliquos actus alios illud pleurumq; comitantes, praecedentesq; illicitos, ac scandalosos, ob horum probationem Reus juxta actuum enormitatem, scandalum, & conscientiam Judicis in partem, aut solidas expensas condemnari poterit."

XVIII. De jure communi si legitimus accusator deerat, ne crimina manerent impunita, poterat iudex nonnumquam via inquisitionis contra criminosos procedere; de qua in Cap. 19. 21. & 24. De Accusat. Tuncq; dicitur iudex procedere à seipso, sive ex officio.

XIX. Eodem jure inspecto, hic modus procedendi via inquisitionis erat extraordinarius, & tantum in defectum legitimi accusatoris assumendus, uti late ostendit Julius Clarus loco citato q. 3. n. 4. & 5. At hodie de consuetudine hic modus procedendi via inquisitionis revera est ordinarius; quia moribus hodiernis non solet accusatio sine processibus criminalis contra aliquem seu in tribunali civili seu Ecclesiastico institui, nisi pravia inquisitione.

XX. Testatur quoq; Guilelmus Benedicti loco citato num. 201. "Quod hodie omnia expediuntur per viam inquisitionis; imò (ait Benedicti) cum hodie semper procedatur per inquisitionem loco accusationis surrogatam, sicut damnatus via accusationis erat infamis; ita nunc si damnatus, via inquisitionis, provisò quòd damnatus tali poena afficiatur."

XXI. Notandum enim, quòd procedere via inquisitionis non sit, quando iudex transmittit reo inquisitionem; ut nonnulli arbitrantur, sed actus inquisitionis secundum communem loquelam & dispositionem appropriatam primo actui, quo mediante, per viam officii iudex videtur vel procedere contra aliquem, non autem attribuitur actibus sequentibus processibus; uti monet Julius Clarus citata q. 3. n. 2. ibidem addens: "Et sic rectè loquendo, inquirere contra aliquem, non est ei transmittere inquisitionem, sed est recipere testes, seu informationes contra eum. Charta verò inquisitionis sive libellus criminalis, qui contra reum formatur, atque ei intimatur cum termino comparandi, est actus communis utriq; modo procedendi. Et ideo indifferetè transmittitur reo absentem, tam si procedatur ad accusationem seu querelam partis, quam si procedatur ex officio."

XXII. Itaque formare inquisitionem contra aliquem est facere processum informativum, assumendo informationes contra reum super delicto. Ex his dein informationibus elicitor titulus & series facti, quae postea narratur in libello accusationis, & Reo transmittitur vel communicatur in vim citationis.

XXIII. Inquisitio igitur seu informatio praerequiritur hodie, ut publici Accusatores, qui soli moribus hodiernis ad accusandum criminaliter & ad vindictam publicam admittuntur, accusationem instituire, aut contra reum libellam accusationis offerre possint. Ideoq; tradunt communiter Pragmatici, moribus hodiernis informationem esse basim processus criminalis. Carolus Fevretius De Abusu lib. 8. c. 3. n. 1.

XXIV. Refertq; Joannes Torneus in collectione arrestorum Litt. A. c. 125. condemnatum quemdam Officialem per Parlamentum Regium in multam 25. pat. conum, quia omnia informatione inceperat ab interrogatione Rei; & vi confessionis à Reo elicitae processerat ad sententiam definitivam privationis Beneficii.